

sub tempore gratiae [a] Macabaei, in ipsos insultum apud sanctum Leonardum fecerunt; ibidem ferociter bello fere per mediam noctem bene peracto [b] acerfimo, multis ex utraque parte cadentibus, tamen Bononienses [c] neminem persequente [d], alii ad propria, alii vero usque [e] ad castra remearunt. Ibidem Faventinos milites [f] cum quibusdam Florentinorum militibus more maiorum praeliantes, nocte media reliquerunt. Quidam autem ex nostris, cum diu ab inimicis haec pati [g] non possent, ad unius vocis clamorem dixerunt [h] *facite viam* [i] *Populo date Faventino*, et: *Ecce enim* [j] *Populus Faventinus venit*. Responsum fuit: *Monne nos, ut vos, Christiani sumus? Nos quidem etiam* [k] *Hoc dirimite bellum*. *Quod nimia velocitate nostri mandaverunt effectui*. Tunc nostri milites, cum paucis ex Florentinorum militibus, circa mediam noctem sunt reversi ad castra, suum Clavigerum atque Baptistam non cessantes laudare, qui eos in tanto discrimine servaverant illaesos. Venerunt praeterea post multas et magnas dilationes, ex Lombardorum societate ad Bononiensium servitium milites Paduani, Trivisani [l], Veronenses, Vicentini, ccc numero, et quingenti [m] Ferrariensium pedites, quos dominus Salinguefra ad dictum direxit exercitum. Servierunt etiam illic quingenti [n] Liviensium pedites Faventinis, tunc amicis suis, per xv dies [o] fidelissime et devote. Videntes autem Faventini, quod Bononienses nihil de eis curare viderentur, disposuerunt recedere. Hoc Bononienses audito, tristes et anxii in nostro consilio plura fuderunt precamina, sese nobiscum recessuros infra spatium vii dierum, secure instrumento [p] nobis de voluntate consilii Bononiensis primo facto. Quam ob rem eorum acquievimus dictis [q]. Illico coeperunt murum fodere Bononienses; nam antea nihil fecerant. Dictis vero diebus expletis, iterum Bononienses venerunt, nos obnixi rogantes pietatis intuitu, ut causa societatis antiquae, quod abinde a diem sabbathi proximi [r], castro victo vel non, sese nobiscum repatriaturos, in nostro consilio denuo promiserunt firmissime; nobis iterum instrumentum de voluntate praedicti consilii Bononiensis [s], et nostro [t] notario indixerunt, eorum obtemperamus voluntati. Die quoque veneris, summo mane, igne opposito [u] in dicto cavamine, ut ligna [v], quae ad sustentamentum muri erant, fuissent combusta, murus cecidit in quantitate non modica. Tunc ceteri de exercitu, tam pedites quam milites, ad arma currentes, cum dictum castrum expugnandum modis omnibus peroptarent, alii a parte inferiori, alii a parte superiori, properarunt velocissime. Verum, cum Bononienses pedites eo dictum castrum fortiter expugnarent, mul-

[a] tempore gratiae, C. A.; tempore guerrae, C. V. — [b] bene peracto. Sic lego C. M.; Bononienses peracto, legit cl. Mitt.; Bon. peracto, C. V. — [c] tamen Bononienses, C. V.; tamen Bononiensibus, legit cl. Mitt. — [d] neminem persequente, C. A. et sic legit cl. Mitt.; neminem persequente; Codd. M. et V. — [e] alii vero usque. Sic cl. Mitt.; ac alii usque, C. V. In C. M. legi quoque potest: vel alii usque. — [f] Faventinos milites. Sic lego Favent. milites, quod habet C. M.; Faventini milites, legit cl. Mitt. — [g] haec pati, C. A.; hoc pati. C. V. — [h] clamorem dixerunt. Sic suppleo. C. A., clamorem; clamore, Codd. M. et V. — [i] facite viam. Sic lego. Codd. M. et V. habent, facite viam; C. A., fecit viam. — [j] ecce enim. Sic legit cl. Mitt.; ecce eis., C. A. — [k] Nos quidem etiam. Sic legendum puto. C. V. et cl. Mitt. legunt: nos quidem est. — [l] Trivisani. Sic Codd. M. et V. — [m] et quingenti. Sic corrigo. Codd. M. et V. habent: e quingentos. — [n] etiam illic quingenti. Sic lego. C. M. habet, quingentos; sicque C. V. Loco illic, cl. Mitt. legit: illis. — [o] per xv dies, Codd. M. et A. In C. V., per quinque dies. — [p] secure instrumento. Sic lego. Secure instrumentum, Codd. M. et A.; secum instrumentum, C. V.; se autem etc., cl. Mitt. — [q] acquievimus dictis. Sic C. M.; acquievimus dicto, C. A.; acquievimus voluntati, C. V. — [r] ad diem sabbathi proximi. Sic lego. In C. M., a diem sabbati proxima. In C. A., a die sabati proxime. In C. V., ad diem sabathi proximo. — [s] consilii Bononiensis. Sic lego; consilii Bononienses, cl. Mitt. — [t] et nostro. Addidi, et. — [u] igne opposito, C. A. et cl. Mitt. In C. M., inge opposito. In C. V., ingente opposito. — [v] ut ligna. Sic lego. Codd. habent: et ligna.

*in ipso loco!*